



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 55. Plures alii Principes de Regno Neapolitano contententes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Secul. XV  
A. C. 1458.

dinandus, per literas & Oratores suos, quamvis incassum, iratum Callisti animum lenire quæsit.

## §. LV.

*Plures alii Principes de regno Neapolitano contendentes.*

**N**ec Ferdinando alii deerant æmuli, qui Regnum Neapolitanum exteris Principibus vindicare adlaborabant. Nonnulli enim Carolum Vianæ Principem, regni que Navarrici hæredem ad capeffendum Regni Neapolitani sceptrum inducere conabantur, cum legitimus Alphonsi ex fratre Nepos esset. Hic tamen non tam liberi arbitrii selectu, quam potestatis defectu, neve in suspicionem affectati regni adduceretur, Neapoli discessit, quem exitum turbatus rerum status sortiturus esset, præstolaturus. Alii hanc

---

in Dominum suum, immodestissime in summum Pontificem elatus talia effutiit. *Non quidem ab Historico desiderandum, ut integras conscribat apologias, contra sinceritatem tamen & integritatem peccat, si duntaxat ea corradit, quæ unus vel alter auctor livido dente arrodit, carpitque, illa vero studiose reticet, quæ Scriptores alii longe plures æque ac præstantiores, vel commendant, vel ab aliis perperam dicta refutant.*

hanc coronam Joanni Arragoniæ Regi & Alphonfi Fratri jure imponendam contendebant; Ille autem certis Hispaniæ opibus, ac ditionibus contentus, longinquas, easque incertas haud magnopere curabat. Joannes quoque Andegavensis, qui Renati olim cum Alphonso de hoc regno contendentis Filius erat jura sua resuscitavit. Hunc Carolus VII. Galliarum Rex, postquam Genuenses in suam tutelam receperat, Genuam misit, ut Alphonfi vexationes reprimeret, qui etiam rem egregie ac fortiter aggressus est, lætaque habuit belli initia, cum magnam Neapolitani Regni partem occuparet; sed exitum demum tristem expertus est; sexto enim post adventum suum anno tota Italia omnino expulsus, ad sua reverti compellebatur.

## §. LVI.

*Callisti III. summi Pontificis obitus.*

Ferdinandus tandem permansit pacificus Neapolitanæ coronæ possessor, cum a crebris molestiis fuisset ereptus per Callisti Pontificis obitum, qui hoc anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo sexta Mensis Augusti die Romæ contigit, postquam Callistus ætatis suæ octoginta, Pontificatus

L 1 5

vero